

ratione in concursum suorum publicorum onerum vocari possunt, et merito contribuere deberent cum modo Contribuente fundo, et hos inter essent in specie Bona Zriniano-Fiscalia circa Carolostadium, Mikulichiana circa Capronczam, Maritima Cameralia, Perennialistarum Trans-Colapianorum, Praediales Ignobiles et Inquilini, ac Communitates, Libertini ac Decimalistae, quorumcunque Dominiorum, hostico non vicini, et hi Ignobiles, praeterea Tricesimarum errectarum ex Articulo 54. 1741, et errigendarum virtute Articuli 89. 1647. beneficium, Districtus Kuttinensis etiam in contributionali onere reincorporatio, fundamento Articuli 51. 1741 A., quibus pro nunc praescindi posset. Ideo horum remonstrationem, et fiendam Suae Excellentiae Banali propositionem, ac per hunc si judicaverit suae etiam Majestati fiendam prolationem reservare sibi potest Inclytum Regnum, cum ea Declaratione, quod ubi primum aliquid influxerit in Cassam Regni publicam, ex talibus noviter adjiaciendis Fundis, quod converti poterit in praemissam Militarem Exolutionem, statim tantum defalcetur Singulo Anno ex quanto illo, quod ex gratiali sua Cassa in adjutorium ejusdem Exolutionis Militaris huc Conferendum ordinabit Sua Majestas Sacratissima.

Undecimo. Praesidiorum fortificatio et munitio etiam occurrere posse censetur, sed in hoc obtestanda veniret Sua Majestas Sacratissima, ut fortificata et munita etiam per Concursum sui Aerarii, non alio, quam Nationali Milite, fido aliunde, et jam futuro regulato semper impraesidiare dignetur.

Duodecimo. Et cum totum hoc Regnum militare consveverit, et pro circumstantia temporis, Principis et suis rebus nunquam defuerit, aut defuturum sit, supplicari posset Suae Majestati, ne quibuscunque temporibus cum Militaribus quarteriis oneretur.

Articulus Septimus.

De Foro superrevisorio Causarum Civilium, et instituendo etiam in Regno hoc uno Vice-Tavernicorum Magistro.

Ex humillima Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum, de Causarum, in Liberis et Regiis Civitatibus Regni hujus, ventilari solitarum, ac inde apellatarum Foro superrevisorio, ex ipsis Juribus et Privilegiis dictarum Civitatum deducta, suaeque Caesareo Regiae Majestati humillime submissa opinione informationeque, tametsi dictae Civitates, Varasdinensis quidem Judicatu Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenenti subesset, Segniensis vero apud Comitatum forum superrevisorium habeat, reliquae autem, una cum Oppido Czirkveno, Judicio Magistri Tavernicorum Regalium, atque adeo distinctis quoad revisiones causarum Jurisdictionibus subesse comperiantur, Sua tamen Sacratissima Caesareo-Regia Majestas, veluti Summa in Terris Justitiae Moderatrix, tum quod dictarum Civitatum Incolae causantes ad Forum Superrevisorium apellantes, partim ob distantiam loci viarumque incommoditatem, partim vero miserum et aegenum Statum suum, mediorumque et facultatum defectum, difficulter nimis vel nullatenus ad constitutum unum vel alterum in Hungaria Forum Superrevisorium